

336

334

340

321

330

consitum pomerantiis et malogranatis, et de horto in domum  
magnam cum multis habitaculis ascendimus, in qua tamen  
domo tantum pauperes quidam Graeci habitant pauci, et pos-  
sent in ea centum homines habitare cum quiete, quia, ut  
dixi, est habitatio grandis, solemnis cum valde multis cameris  
testudinatis, et adhaeret a parte occidentali ecclesiae sancti  
sepulchri, ita, quod de principali habitatione est fenestra per  
murum in ecclesiam sancti sepulchri, per quam respectus est  
super dominicum sepulchrum.

345

Haec domus olim fuit habitatio regum Jerusalem, et in  
ea habitabant, ut semper sanctissimo dominico sepulchro  
adessent, et omnibus diebus dabantur de ea cuilibet pere-  
grino tres panes tempore regum latinorum. Sed et dominus  
Soldanus capta et possessa civitate sancta multis annis con-  
tinuavit; sed nunc totum periiit, et illi Graeci, qui regium  
palatium inhabitant, vix vivere possunt prae paupertate. Sed  
et ipsa domus undique ruinam minatur, et in multis locis  
ruit, nec est, qui reficiat vel sublevet ruinas illas. Peregrini  
de Graecia in illa domo habitant, quando sunt in Jerusalem,  
et dicunt, quod sit palatium patriarchae Graecorum.

325

385

285

435

235

### De hospitali Sancti Johannis et locis eidem annexis et coaedificatis.

De illa domo exeuntes ex opposito in hospitale Sancti  
Johannis ascendimus, in quo peregrini dormiunt et manducant.  
De quo supra fol. 39. A. patuit. Huic autem habitaculo, in  
quo peregrini morantur, erat (124 A) quondam annexum  
grande palatium et solemnis habitatio dominorum militum sancti  
Johannis, qui erant piissimi hospites, et largissimi peregrino-  
rum, et fuit illa consuetudo, quod quando peregrinus hospitale  
ingrediebatur, dabat hospitalario II marchetas venetianas, et  
sine querela habuit liberum hospitium, etiam si per annum in  
Jerusalem mansisset. Et tam amplus et gloriosus fuit locus  
iste, et hoc hospitale, quod si mille peregrini venissent,  
omnes locum sine pressura habuissent, sicut in ruinis videri  
potest, et in ea parte, quae semirupta mansit, quae adeo  
magna est, quod in ea quadringenti peregrini possent manere.

Ende

Anfang